

animae gaudent simul in caelis felici consortio. Sepultus est“, inquit, „in capella beati Martini, quae est in Hegene, iuxta tumbam felicitis memoriae Conradi de Herlsheim³⁰.“ Amplius ergo dilector veritatis abbas Richolfus, cum audisset harum trium personarum nomina cum suis propriis loculis a prudenti virgine discretis vocabulis designari, sumens ex eo materiam interrogandi de his tribus ait ad illam: „Rogo te, dilecta, ut mihi prudentia responsionis tuae hoc edisserat, quodcumque verbum tibi divina sapientia de virtutibus et praemiis istarum trium personarum revelavit.“ Tunc illa sicut a spiritu sancto notitiam accepit, ita virtutes et praemia istorum trium singillatim prodidit. Primo de praecellentiore, hoc est de beato Conrado, sic ait: „Felix Conradus de Herlsheim fuit homo totus ardens et seraphicus quoad proximum dilectionis iaculo transfixus et quoad deum interna caritate vulneratus. Hic enim in carne positus ardentissimo desiderio flagrabat et anhelabat, calore supernae lucis inflammari et aeterni solis nitore irradiari. Ergo a patre luminum inter filios splendoris computatus est et eodem calore et nitore aeterni solis inflammatur et irradiatur. Tanto etiam spectat faciem dei nunc vicinius et limpidius, quanto hoc in vita quaerebat ardentius. In cuius capite nunc resplendet diadema pretiosissimum, carbunculis candentibus adornatum, sibi a rege regum oblatum et impositum.“ Secundo de beato Godfrido de Merenberg famula Christi sic locuta est: „Felix“, inquit, „Godfridus doctor fuit orthodoxus et prudens, duntaxat quaerens honorem dei et lucrum animarum in praedicatione verbi divini. Liquorem enim sacrae doctrinae, quem de fonte divinae sapientiae hausit, cordibus fidelium liberaliter infudit. Ergo coetui sanctorum nunc admixtus in caelestibus refulget laureatus.“ Postremo de beato Henrico abbate in Hegene memorata Elisabeth sic ait: „Felix Henricus abbas virgo purus fuit, angelicam vitam duxit in terris, quia in carne praeter carnis petulantiam vixit. Zona enim castitatis adeo lumbos suos praecinxit, ut totum corpus niveo candore pudicitiae ornatum vitro purius appareret. Ideo aureola virginum coronatus filium virginis sequitur, quocumque ierit, quia deo placuit prae caeteris speciali privilegio castitatis.“ Profecto eidem Henrico talis inerat consuetudo, ut sedens in mensa post quamlibet sumptam buccellam semper angelicam eruc-tavit salutationem. Abbas itaque Richolfus Arnsburgensis omnia verba haec famulae Christi Elisabeth in scrinio pectoris sui conservavit. Qui domum reversus invenit, Henricum abbatem in Hegene a seculo hoc migrasse eadem die et hora, sicut ab Elisabeth praedicta audierat. Repe-

30) (Hüttenberg-)Hörnsheim südlich Gießen.